Dissertatio inauguralis medico-practica de ictero ... / submittit Franciscus Xaverius Tschebulz.

Contributors

Tschebulz, Franz Xaver.
Universität Wien.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Viennae : Typis Antonii Kroys, 1784.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nv2tumnn

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO

INAUGURALIS
MEDICO - PRACTICA
DE

ICTERO

QUAM
ANNUENTE INCLYTA FACULTATE
MEDICA
IN
ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PRO
DOCTORATUS LAUREA, SUMMISQUE
IN MEDICINA HONORIBUS, ET PRIVILEGIIS
LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICAE
DISQUISITIONI SUBMITTIT

FRANCISCUS XAVERIUS
TSCHEBULZ
CARNIOLUS RUDOLPHSWERTENSIS.
PHILOSOPHIAE MAGISTER

DISPUTABITUR
IN MAGNO UNIVERSITATIS PALATIO
Hora *Die* *Mensis Maji* *Anno*
MDCCLXXXV.

VIENNÆ,
TYPIS ANTONII KROYS.

PERILLUSTRI SPECTABILI

AC

MAGNIFICO DOMINO

BENEDICTO LEOPOLDO

RHEIN

SAC. CÆS. AUL. MAJ. EXCELSI REGIMINIS INFERIORIS AUSTRIÆ CONSILIARIO AULICO ARTIUM LIBERALIUM, PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ DOCTORI, CELEBERRIMÆ ET ANTIQUISSIMÆ UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS SECUNDA VICE

RECTORI,

IN ÆTERNUM COLENDO.

Perillustris ac Magnifice

DOMINE

RECTOR!

O *ter faustam, quia bis secundam aureo signandam calculo, æternumque mihi in festis rememorandam diem! O diem felicitatis, ac lætitiæ meæ auspicem! in qua præclaro, mihique optatissimo sapientiæ, ac virtutum Syderi has quascunque pagellas conceditur dedicare.*

Hoc enim in ipso meo dictionis limine compellare TE cogor VIR PERILLUSTRIS, ac MAGNIFICE DOMINE RECTOR, ut sic paucis multa, si non omnia prærogativarum TUARUM encomia complectar, & tanquam in ungue LEONEM innumerabilium rerum summam anteponam.

De TE igitur sibi nostra congratulatur civitas Viennensis, dum TE Medicinæ scientiæ non modo ZELATOREM, sed & DEFENSOREM, non tantum DEFENSOREM, sed ILLUSTRATOREM, quin & CONSERVATOREM unanimi animorum consensu gratulabunda recogitat.

Minimum sane mirandum foret si doctrinam, ac sapientiam TUAM, editaque innumera in lucem merita, nisi meum nimis limitatum recogitarem ingenium, vivis depingerem coloribus; quorum autem apicem attingere nequeo, invitus prætermittam.

Quis

Quis enim non novit TUA omni laude dignissima gesta, dum ad DECANI dignitatem evectus esses? cui inexplicabili sapientia, ac honore præfuisti: quem latet miratu digna dexteritas TUA, dum prima vice omnium voce in RECTOREM electus fuisses? & ecce! hæc ipsa TE iterum ad eandem promovit dignitatem.

Silentio prætereo innumerorum ægrorum quum pauperum, tum magnatorum de TE canentium laudes, ad quorum fores, dum jam mors acerba pulsasset, eos tamen ex hujus eripnisti faucibus. Nil dico de meritis, quæ in Nosocomio Sanctissimæ Trinitatis luci tradidisti, in quo sanitatis sitientes

ægri in TE solo tanquam fonte reficiente levamen invenerunt.

Et certe meritis TUIS magis cogitationes meas immergens, nisi his conscribendis imposuissem finem, præcipitium sane me petere oportuisset, ut inde merito auserim dicere: Non illi jactati carminibus Trojæ fatalis equi Duces, ac Bellatores morti tot tradidere hostes, quot ægros TU sanitate donasti.

Scio, TE, dum hæc etsi minima TUA es conspecturus merita, frontem contracturum, quia hostibus TUIS, laudibus inquam, indignaris.

Rogo

Rogo ſeriam depone averſionis TUÆ nubem, & encomii TUI lucem intueri non dedignare. Phœbea lampas non officit aquilis. Degeneres animi in altum aſſurgunt, Virtuoſi Zelo laudes cedunt, Superisque tranſcribunt.

A veritate certe non deflecterem, ſi Auſtriæ Phœnicem TE dixero; nam ſemper ad majorem renasceris dignitatem, dum ad majorem Te dimittis profunditatem.

Suscipe igitur meum opusculum TIBI tanquam Patri meo, etſi indignum nomine TUO dedicatum, & non tam hoc, quam animum, quo TIBI offertur, reſpice.

Quapropter me TIBI trado, TUUS usque, & usque TUUS sum, rogoque, ut me benignitate, ac protectione TUA in posterum complecti non dedigneris.

Perillustris ac Magnifici Domini

RECTORIS

DEVOTISSIMUS

FRANCISCUS TSCHEBULZ.

PRÆFATIO.

Quum diu mea revolverem mente, qua ratione non doctis, sed docendis alicui saltem utilitati esse possem; tum me in late diffuso Medicinæ scientiæ mari constitutum vidi, & unde inciperem, undeque exordirer, incertus hæsi; nam quidquid adgressus sum, quamcunque explanare cogitavi materiem, omnia summi in Medicina usus esse cognovi.

Selegi tandem Icterum, morbum, etsi jnveni Medico explanatu non perquam facilem tuos ante proponere oculos, cujus diversæ sunt variorum Auctorum opiniones, diversæ causæ, curaque diversa: nihilominus recentiorum maxime in

praxi

praxi celeberrimorum Practicorum opinione meum pertractare constitui opusculum, in quo exoleta, & in praxi nec minimum adferentia emolumentum omittam, sed pro possibili mea diligentia ea tantum adducam, quæ usitatiora, & ad hunc facilius dignoscendum, & debellandum morbum magis utilia esse censebam.

Si quid tamen tuo jam in praxi exculto, exercitatoque minus ariserit animo, parce Juventuti, parce non adhuc adeo ex praxi scribenti, sed ad errorem detectum corrigendum animo semper prono.



§. Imus

DE

ICTERO IN GENERE.

Icterus variis nominibus erat dotatus : sic Hippocrates eum *morbum Regium* , *Auriginosum* , *Arquatam* adpellat, quorum nominum analysim *Ill. Van-Swieten* (*a*) pulcherrime explanat.

Quum vero *Icterus* sit multiplex, neque unam, eandemque semper salutet caus-

---

(a) Tom. IV. de Hep. & Ict. pag. 263.

cauſſam ; tum varii ideo Auctores in diverſas abiere ſententias, quarum aliquas adducere juvabit: ſic *Tozzi* (a) lympham, & ſerum cum acido comixta morbi hujus tanquam cauſſam ſæpius incuſat. ajens: *Arquatum morbum accidiſſe ex lympha, & ſero ſanguinis exaltato, atque flavum colorem adepto, ob mixturam ſalis acore præditi, ſeu ſucci acidi cum lympha ſuo etiam ſale imbuta, ſimili ferme modo, ac experimur lixivium ex cineribus paratum flavescere, vergereque in croceum colorem, ſi acidum juſta menſura ſuperaffundatur, quin & lixivium ipſum, ſi multo & acri cinere aſperſum, plusquam deceat efferbuerit, non leviter rubescere ſolet, & ruffum colorem induere &c.* Accedit ſœpe Hydropem Ascitem tanquam cauſſam *Icterum* agnoscere, qui vitiatæ lymphæ, & lymphaticis vaſis communi voto tribuitur. Non minus a vipera demorſi idem confirmant, qui momento temporis toto corpore flavescunt, in quibus vix abſtructio ductus choledochi incuſari poteſt: taceo de *Ictericis*, in quibus ſecto cadavere, ductus Hepatis naturali-

ter

(b) Tom. 1mo. pag. 221.

ter conſtituti fuere inventi. nil dico de *Ictero* cohibitam ſeminis emiſſionem ſequente: ſilentio prætereo *Icterum* ruſticorum, qui ſola naribus cucumeris ſylveſtris applicatione huic ipſi medentur. Recentiores tamen omnes ragurgitationem bilis â quacunque ratione progenitam *Icterum* efficere ſtatuunt, quorum opinioni & ego adhærens dico.

§. II.

Icterus eſt cacochymia biliosa a regurgitatione bilis progenita habitum totius corporis, præcipue albugineam oculi præternaturali flavo, aut flavonigrescente, vel virescente deturpans colore.

§. III.

Diviſio *Icteri* apud diverſos variat auctores, quorum aliqui dividunt *Icterum*.

1mo. *Ratione originis* in *Hepaticum* ab obſtructione, impeditoque bilis hepaticæ effluxu, regurgitantis in ſanguinem, cujus ſigna ſunt: incrementum lentius, colorque dilutior: qui ite-

iterum ſubdividitur in *cyſticum*, cujus eadem ratio, ſed incrementum citius, colorque profunde flavus: dein in *Hepatico-cyſticum*, in quo utriusque ductus impedimentum, & regurgitatio bilis divinatur, quem per citiſſimum incrementum, coloremque profunde flavum quisque facile dijudicare valebit.

2do *Ratione Coloris* in *flavum*, *flavo viridescentem*, *fuscum*, aut *nigrescentem*; quo enim magis a flavo recedit colore, eo pejor eſſe cenſetur.

3tio *Ratione loci* in *univerſalem*, & *topicum* ab animi adfectibus præcipue ab ira exortum; cui irritabiliores & ad iram procliviores obnoxii eſſe ſolent.

4to *Ratione febris* in *febrilem*, & *non febrilem*, ſeu *calidum*, & *frigidum*, hic iterum in *inflamatorium*, *pituitoſum*, *bilioſum*, & *putridum* diſpescitur: *Inflamatorius* denuo eſt ratione *exitus* vel *ſuppuratorius* vel *ſcirrhoſus*, vel *cancroſus*.

5to *Ratione typi* in *chronicum*, *continuum*, & *periodicum*, qui poſte-

rior

rior a calculis viarum biliferarum, modo bili exitum concedentibus modo præcludentibus generatur.

Quia vero hæ divisiones, & subdivisiones magis confundunt Practicum, quam ad exstirpationem morbi conducunt, magis in praxi usitatam ratione caussæ dabo divisionem.

§. IV.

Quare 1*mo* *Icterum*, in *Frigidum* 2*do* *Inflamatorium*. 3*tio* *Plethoricorum*. 4*to* *Periodicum*. 5*to* *Spasmodicum*. 6*to* *Neonatorum*. 7*mo* tandem in *Icterum febrium gastricarum* dispescere non incongruum erit, quorum cuilibet speciei adsignabo caussam, enumerabo symptomata, curamque adnectam.

Antequam vero primam *Icteri* exponendam adgrediar speciem, prodromos, præcipuaque primo intuitu occurrentia symptomata, ejus caussam proximam, caussasque excitantes exponere constitui.

§. V.

Prius ac æger icterico suffunditur colore, ejus corpus non exigua debili-

tas, laſſitudo, languorque occupat; animo tales linquuntur; quibusdam viſus eſt obscurior, nonnullis flava, etſi raro adparent objecta; faſtidiunt cibos, ructus acidos, vel etiam putridos experiuntur; querelam de amarore oris movent; lingua eorum flavo tingitur colore; in toto corpore pruritum, cutisque ariditatem percipiunt cum difficultate proliciendi ſudores, vehementem ſoepius ventriculi dolorem, & anxiam ſcrobiculi cordis perſentiscunt contractionem; ſtrictura quaſi ab injecto fune circa præcordia, gravitas, tenſio hypohondrii dextri circa hepar, & conſueta male digerentis ventriculi adparent incommoda; quibus non minus infeſtantur inteſtina; urinam craſſam turbidam, linteamina, papirumque flavo tingentem colore, profunde ſubin flavam, crocei magis excernunt coloris, quam in febribus ſimpliciter biliosis conſpici ſolet; tincta item ſoepe cernitur cereviſiæ adinſtar, prunei nempe coloris cum ſedimento craſſo, lateritio, & furfuraceo fundum petente: tardam, ſiccam, difficilem, parcam ob defectum bilis deponunt alvum, nonnunquam hæc iis pertinaciter eſt clauſa; quibusdam nutricibus lac, & ſaliva amarescunt: ſudor linteamina,

mina, & argentum ſecum geſtum flave colorat; pulſus nonnullis tangitur febrilis, aliquando naturalis: adparet tandem color flavus, omnium primo in tunica albuginea oculi, utpote membrana omnium tenuiſſima, facillimeque translucente, dein facies, collum, lingua, totaque corporis ſuperficies, imo pars capitis capillata, capilli, cerebrum, viscera omnia, musculi, oſſa, cartilagines, & ſanguis flavo ex flavo - nigrescente, aut virescente deturpantur colore.

Cauſſam quod concernit *proximam Icteri*, Recentiores omnes regurgitationem bilis in maſſam humorum ſtatuunt.

Cauſſæ excitentis vices omne id gerere poteſt, quod effluxum bilis quacunque ratione eſt natum impedire: ſic ſanguis mucoſus; paſtaceus; alimenta tenacia, flatulenta, indigeſtibilia cum pauco, aut nullo corporis exercitio; viſcera debilia, aut laxa; infarctus Hepatis calidus, aut frigidus; calculi in veſicula fellea generati, & in ductum choledochum propagati; bilis inſpiſſata inflamatio ſuppuratio, Scirrhi ductuum biliferorum; calculi, & pituita inteſtinorum, vel mæconium, fœcesque ac-

cumulatæ ; hypochondriacorum , & hyſtericarum ſpaſmi abdominales ; diu obſtructa alvus ; tumor inteſtinorum , ac totius abdominis bili in inteſtina occludens viam , unde *Icterus* gravidarum ; huc etiam refertur ſerum aut lympha acido depravata ; venena ſpecifica , uti venenum viperarum.

DE

Ictero in ſpecie.

CAPUT PRIMUM

DE

Ictero frigido.

Icterus frigidus , ſeu *non febrilis* , *lentus* , *chronicus* , *Apyretos* etiam dictus homines plerumque paſtaceæ naturæ ſolet invadere ; in his enim raro febris , ſive pulſus obſervatur alteratio , ſed pedetentim ſenſim ſine ſenſu increſcit , & quo magis augentur obſtructiones , eo lentior inordinatiorque fit in hepate humorum motus , bilique præcluditur exitus.

Cauſſa proxima hujus ſpeciei eſt , impeditus bilis in duodenum effluxus ,

a materia ductus, aut poros obſtruente, biłemque in maſſam ſanguinis pellente.

Cauſſæ excitantes ſunt, mucoſus, aut paſtaceus ſanguis, alimenta indigeſtibilia, flatulenta, minime Ventriculi viribus correſpondentia: bilis inſpiſſata, tenax, ſibique ipſi in duodenum præcludens exitum: tumor Hepatis quiſcunque vel ſcirrhoſus, vel non ſcirrhoſus communem biliferum comprimens ductum, item tumor vicini cujuscunque viſceris: uti Ventriculi ſubſtantia, ſeu Ventriculus ipſe præter modum diſtentus: tumor Pancreatis biliferos premens ductus: flexus Coli hepaticus multis diſtentus flatibus, fœcibusque coaeervatus, prouti contingere ſolet in hominibus ſedentariam agentibus vitam, alvoque ſtricta laborantibus: Uterus vel ſcirrhoideus, vel præter modum diſtentus, præſertim ultimis graviditatis menſibus: Renis alterutrius magnitudo biliferum premens ductum; inteſtina circa Hepar jacentia, eorumque ſpaſmus: tumor denique in ipſa ductus biliferi enatus ſubſtantia *Icterum* progignunt.

Cauſſis hanc ſpeciem *Icteri* excitantibus viſis, ejus *ſigna* perpendamus, eſt

neceſſe : ſunt igitur : Cauſſæ prægreſſæ ætas & vitæ genus , cui ſpeciei maxime obnoxii ſunt ſenes & ſedentiarum agentes vitam , uti litterati , hypochondriaci , victu glutinoſo , tenaci , craſſoque ſeſe replentes ; tales enim in ventriculo frigoris experiuntur ſensus, in hypochondrio dextro tenſionem , nauſeant cibos , multamque sæpius vomitu reddunt pituitam.

Cura pro diverſitate adhibetur cauſſæ : ſic in pituita ab alimentis crudis , indigeſtibilibus ductum hepaticum , aut cyſticum obſtruentibus generata deſumitur indicatio ; incidere nempe pituitam eamque prouti turget eliminare ; hinc ſi turgeat ſurſum Tartaro emetico excuti debet, qui duplici ſcopo ſua & incidendo , & ejiciendo vi facit ſatis ; ſi deorſum cremor Tart. cum pulv. rad. Jalapp. præprimis laudari meretur.

Tenacitas bilis , eaque inſpiſſata , tumor , obſtructiones quæcunque bili exitum præcludentes ab initio ſolventibus lenioribus reſerari debent : ſic E. g. rad gram : Tarax : Cihor : Saponar : Bardan : Tragopogon : Scorzon : Sonchi, V. rad. aperient : cum salibus me-

diis

diis mitioribus, uti terra fol. Tartari: Tart. vitriol: Arcan: duplic. &c. item ſerum lactis vel ſolum, vel ſale quodam armatum, aquæ minerales, ſelteranæ, Ægranæ, Rhoitſehenſes; fructus horrei cum eorum præparatis: item infuſum Rhei, vel Rheum in ſubſtantia cum ſale quodam medio comixtum, parvaque propinatum doſi.

Nonnunquam tamen accidit tam diras in corpore hærere ohſtructiones, ut his lenioribus ſolventibus medicamentis auſcultare nequeant; tum ad fortiora confugere oportet: uti ſunt Antiſcorbutica, nempe Cohlear: Fumar: Trifol: fibr. cum extractis amaris E. g. extracto Gentian. Centaur. minor, Abſynth. ſi his adhuc pertinacia ſua cedere nollent, fortiſſimus pugnetur, eſt neceſſe, ſcilicet gumiferulaceis, uti ſapone veneto, gumiammonico, aceto ſimplici, aceto ſquillitico, Extracto Cicutæ: vel ſolo, vel cum ſapone veneto comixto; item bile taurina inſpiſſata cum gumiammoniaco, vel Rheo ſi alvus obſtructa, vel tarda habeatur. Non parum etiam levaminis adferunt frictiones in hypochondrio dextro cum unguento Althææ, & Camphora mane, & veſperi inſtitutæ,

cui desuper emplastrum de Cicuta apponere quam optime convenit, his exhibitis videndum semper est ad saburram, quæ prouti turgere inceperit, evacuanda erit.

Sæpe tamen accidit, ut mucosa, tenaxque bilis non ab obstructionibus, non ab alia caussa, sed ab attonia, & laxitate vel universi corporis, vel visceris alicujus partialis generetur, in hoc casu & solventia, & quacunque ratione evacuantia protracta ægrum in pejus ruere facient, morbumque augebunt, quia suo effectu & laxitati, & spissitudini bilis erunt nutrimento; sed horum loco amara roborantia, attoniam & laxitatem corrigentia, uti decoctum radicis Cardui Benedicti, Absynthii, Gentianæ, Chalibeata, Extractum Martis pomatum, decoctum Corticis peruviani, Vina medicata optatam adferunt medelam

Cognosces vero a laxitate exortum *Icterum* si attenderis ad signa morbi prægressi diuturni, febris longæ, & diu protractæ; si sit sexus fœmineus, laxus, anni tempestas, aërque humidus nebulosus, habitatio humida, idiosincrasia hominis laxa.

Qua-

Quare ex his omnibus facile intelligitur, quam male, & cum maximo ægri damno tali in *Ictero* Venæ sectiones celebrantur: solvitur item problema Baglivii, quam *Icteri* speciem roborantibus, & quam solventibus mitioribus, vel fortioribus tractare oporteat.

CAPUT SECUNDUM

DE

Ictero inflammatorio.

Icterus inflammatorius, seu calidus ab inflamatione Hepatis, vel partium Hepar immediate attingentium inflamatarum suum trahit ortum.

Caussa proxima hujus est inflamatio vel totius substantiæ Hepatis, vel Vesiculæ felleæ, vel ductus hepatici, vel cystici, vel tandem partium circa Hepar jacentium.

Ad *caussas remotas* omne id reducitur, quod Hepatitidem efformare potest; uti temperies attrabiliaria, depositio lymphæ coagulabilis ad Hepar ex alio loco, materies febrilis extricata, &

ad Hepar delata; materies in ſecundis viis febrem bilioſam gignens, & circa 7mum, 8vum, 9nm motbi diem evoluta, petensque Hepar; materies purulenta vel ibi facta, vel ab aliis partibus per metaſtaſim illuc deportata; Calculus, ſteutoma, cancer Hepar occupantia; corpus calidum ſubito refrigeratum; ſitis in æſtu, & motu validiori diu tollerata, vomitoria vel non indicata, vel ſaburra nondum cocta propinata; anni tempeſtas Hepatitidi favens, & ipſum temperamentum ad hanc diſpoſitum.

Ut autem *Icterum* ab inflamatione exortum, plurimosque in errorem deducentem dignoscere valeas, ad ſequentia ut attendas ſymptomata, eſt neceſſe: tales enim ægri pondus, doloremque obtuſum, vel pungentem, ſubin etiam acutum, ſed fixum, & conſtantem experiuntur, præſertim ſi inflamatio ad diaphragma, ad thoracem, veſicculam felleam, & inteſtinum duodenum excurrat, quæ omnia profundiori inſpiratione facta augentur; dein tales ad latus affectum decumbunt facilius, reſpirationemque ſolo thorace, abdomine immoto perficere poſſunt; inſpirant dificilius, exſpirant facilius: lingua impura, cruſta-

que

que eſt obducta: de oris conqueruntur amarore; pulſus fortis, durus, plenus tangitur: urina crocea, parca lateritia conſpicitur, alvus dificilis, parca, aut ſuppreſſa deponitur &c. ex quibus ergo præſentibus de *Ictero* inflamationem pro cauſſa agnoscente tuum ſecure formare poteris judicium.

Prognoſim quod concernit, hæc jam *Hyppocrati* erat infauſta: inflamatio enim hoc in caſu ejus eſt indolis, ut difficulter teminetur benigna reſolutione, hacque non terminata plerumpue abit in ſuppurationem vix non ſemper lethalem; dein, etſi depulſa fuerit inflamatio a bile tamen diutius cum humorum maſſa circulante oritur diſſolutio, & quidem, ut Hepatitidem excipiant febres purulentæ, febres a diſſolutione humorum ortæ.

Verum enim vero duplici ex cauſſa malam de *Ictero* ab inflamatione proveniente *prognoſim* formare aportet; quia primo ſanguis infectus cunctas corporis inevitabiliter contaminat partes, actio nesque corporis, & præſertim reſpirationem lædit: tum quia fors ab antecedente Hepatis inflamatione aut indu-

ra-

ratione ſemper multa procreantur mala; hinc bene *Hyppocrates* aphor: 64. vit: *Icterus 7mo, 9no. 11mo die ab inflamatione Hepatis ortus malum denotat ſignum hypochondrio duro, peſſimus, & vix non ſemper lethalis eſt, ſi ante 7mum diem accedat.* Non minus etiam involvit discrimen *Icterus*, ſi tanquam ſymptoma hypochondrii dextri inflamationem potius conſequatur, quia hac ratione tanquam pejoris morbi teſtimonium, nec absque materiei biliferæ corrumpentis malitia, per quam habitus corporis univerſus colore ad croceum cum virore comixtum conficitur,

Cura Icteri inflamatorii eſt, uti morbi primarii, id eſt Hepatitidis, quæ conſiſtit in Venæ ſectionibus, interne antiphlogiſticis exhibitis, externe clysmatibus emollientibus, ad locum affectum cataplasmatibus, vel fomentis iisdem adplicatis. Si autem levior fuerit inflamatio ſolventibus antiphlogiſticis depelletur; uti ſalibus mediis mitioribus, quales ſunt terra fol. Tartari, Nitro, Sero lactis, fructibus horreis &c. remanens vero obſtructio in Hepate, fracta phlogoſi curatur, uti *Icterus* a cauſſa frigida cap. 1mo commemorata.

Huc

Huc etiam referri meretur *Icterus* a ſuppuratione progenitus, qui plerumque ægrum fato tradit, omnemque reſpuit curam; utpote, quum hac labe adfecti, hectici, conſumptive morti obviam vadant, niſi natura, vel ars puri conciliet exitum.

Signa hujus deſummuntur ex præcedente inflamatione, non reſolutione benigna, nec alia evacuatione prægreſſa; confirmabunt adhuc magis lenta totius corporis conſumptio: febricula poſt paſtum vesperi aucta, ſudoreque terminata.

Non omitti debet *Icterus Scirrhoides*, cujus ſigna ſunt: inflamatio præcedens non reſoluta, pondus, durities in hypochondrio dextro ad attactum percipienda, qui medelam quidem agnoscit, etſi & hic quum ægrotantis, tum Medici exposcat patientiam, in quo a Lib. Bar. de Störk Cicuta, Flamula Jovis &c. quam maxime commendantur.

CA-

CAPUT TERTIUM

DE

Ictero Plethoricorum.

Icterus Plethoricorum ab inflamatorio eſt diverſus, etſi in eum, ſi diutius perſiſtat abire poſſit: huic ſubjiciuntur homines ſanguinei temperamenti, ſedentarii, & lauto utentes victu.

Cauſſa proxima hujus eſt, nimia abundantia ſanguinis vel totalis, vel ſyſtematis hepatici; hac enim præſente liber ſanguini per Hepar non conceditur circuitus; bilis excretio, & ſecretio impeditur, ac tandem ei via ſe ſe in inteſtinum duodenum exonarandi præcluditur; hinc regurgitationem, ac tandem *Icterum* ſequi, eſt neceſſe.

Cauſſa remota omne id conſiderari debet, quod Plethoram efficere, nutrireque valet: ſic chylopojeſis, hæmatopojeſisque bona, vaſa ſanguifera laxa, victus lautus, temperies: ſanguinolenta, quies, vita ſedentaria, aër humidus, partiusque humorum diſpendium huc merito reducuntur.

Sig-

Signa Icteri a *Plethora* originem denſumentis cognoſces, ſi nec pituitam, nec calculum, nec quamcuuque *Icterum* efficientem es inventurus cauſſam; quin imo potius in tua confirmaberis diagnoſi, ſi ſe abſtractis omnibus aliis ſignis Boërhavii *Plethoram* ſuſtentantes, augentesque manifeſtaverint cauſſæ.

Cura in methodo antiphlogiſtica invenit locum, inſtituuntur ſcilicet pro ratione venæ ſectiones, victus conceditur parcus, exercitium corporis inculcatur, propinantur ſolventia, leniter eccoprotica, uti ſerum lactis tamarindinatum ele: cauſſæque *Plethoram* quam augentes, tam ſuſtentantes removentur.

CAPUT QUARTUM

DE

Icterо periodico.

Icterus non uno decurrens tenore, ſed tempore intercalari ægrum adgredi ſolens, ſub *Icteri periodici*, ſeu *calculoſi* venit nomine.

Cauſſæ hujus potiſſimum ſequentes adnumerantur: vel enim calculus, vel

bilis

bilis inſpiſſata, vel ſpaſmi hanc *Icteri* ſpeciem generare poſſunt.

Cauſſæ remotæ Icteri a calculo productæ præcipuæ ſunt: ſenectus; ſedentaria vita litteratorum; ſexus ſequior; diæta farinoſa, craſſa, ſicca, abuſus ſpirituum ardentium, diatheſis calculoſa in aliis etiam corporis partibus, maxime in Renibus; & Veſica urinaria; diatheſis etiam podagrica huc referri meretur.

Differentia inter calculos felleos, aliosque in corpore reperiundos intercedit, ratione *materiei bilioſæ*, ex qua ut plurimum inſpiſſata generantur calculi; dein *levitate*, quum calculi fellei reliquis multo ſint leviores; tandem *inflamabilitate*, quia utplurimum, etſi non ſemper, calculi veſicæ felleæ ſunt inflamabiles.

Signa calculorum felleorum, vel bilis inſpiſſatæ ſequentia recenſentur; periodicus nempe *Icteri* recurſus, quo præſente ægri tenſione, dolore obtuſo, pondereque in Hepatis vexantur regione; in ſcrobiculo Cordis ſpasmodicam ſentiunt contraionem, cardialgiam,

&

& anxietatem, nauſeant cibos, ſequitur vomituritio, & ipſe vomitus; eorum ſubito anguſtatur pectus; urina turbida, aut croceo tincta conſpicitur colore, hæc omnia excipit *Icterus* levans, brevique diſparens; ſponte iterum rediturus. Quam ob rem dicta incomoda per vices tantum adfligunt ægrum, tandem ſi diutius permanſerint ſubſequitur *Icterus* cum dolore intenſiori. Si ergo ſedato dolore oriatur ſenſim diſparens Diarrhæa, ſi horum ſymptomatum ſucceſſio per anni tempus aliquibus redeat vicibus, ſi calculi per anum rejiciantur; de calculorum præſentia tutiſſimum ferendum eſt judicium: quia ex his facile conjicere licet, hæc hisque ſimilia ſymptomata dependere a viribus vitæ, naturæque conantis calculum, vel bilem inſpiſſatam depellere, eaque eliminare; unde a loco moto calculo, vel bile inſpiſſata ſpasmos, Cardialgiam, variaque tanquam ſoboles procreari ſymptomata, nemo eſt, qui non videat. Quare non ſine ratione movetur quæſtio, utrum calculi in Veſicula fellea perſiſtentes cauſſare poſſent Icterum? ad quam quæſtionem respondeo cum *Roſenſtein* teſtante *Cl. Biuur* (diſſert. qua *Icterus* &c.) calculos tres magnos, & totidem

parvos in Vesicula fellea inventos fuisse sine ullo *Icteri* aparentis vestigio.

Cura in hac *Icteri* specie duplex est, in paroxismo, & extra eundem.

1mo In Paroxismo indicatio est, calculo exituro superiora, vel inferiora versus parare viam, salutares naturæ adjuvare conatus, quod fit adperiendo, & relarxando vias: hinc primo animaduertendum, utrum homo plethoricus sit, nec ne? si est Venæ sectio instituenda, & interne decocta emollientia ex Althæa, Malva, Verbasco larga exhibenda manu; item mixtura oleosa, haustus oleosus, cataplasmata emollientia, & oleosa omni bihorio adplicanda; non parum etiam adferunt medelæ semicupia, balneum totius corporis, præprimis si magnus simul dolor hypochondrii dextri, aut ventriculi adsit.

Vomitum præsentem, quo natura inimicum expellere conatur, neutiquam sistere, sed adjuvare oportet; adjuvatur vero aqua tepida, leviter oxymelita, aut salita, si autem foret vehemens. etiam opiatis, præsertim syrupo Diacodii, vel balneo totius corporis tepido

esset

esset moderandus. Quod si vomitus non promoveat calculum, & potius convulsio, spasmique ductuum biliferorum calculo exitum, progressumque prohibeant, iis opium, Extractum Hyoscyami, & omnis generis conveniunt anodyna, quibus sedari, atque sopiri possit vomitus, quo præstito exitus calculo impacto felicissime conceditur.

Hisce omnibus exhibitis, & singulari prudentia tentatis, si calculus nihilominus in exitu hæreat immobilis, tensioque urgeat, tali in casu lenia proderunt irritantia, ea scilicet, quæ calculum Duodenum versus invitant; hinc optatum præstabunt effectum purgantia lenia, tamarindinata, item frictio hypochondrii dextri; non minus prudenti manu remedium alterans, vel etiam emeticum valde impactum excutiet calculum.

Monet tamen *Unzer* summe attendendum esse tali in *Ictero*, ne hostis hicce intempestivis exasperetur emeticis, ægrumque in pejus ruere faciat; sed laudat *Carol. White* ova recentia, quæ bilem inspissatam solvunt, viasque lubricant: Externe vero *Galenus*, *Rosen-*

ſtein, *&* *Lentinius* fomenta aceto calido intincta, & parti adfectæ adplicata ſummopere dilaudant.

2*do.* Extra paroxiſmum indicatio eſt ſolvere calculum, etſi difficile hoc obtineri poſſit; dein hunc quacunque expellere ratione, ejusque ulteriorem præcavere geneſim.

Solutionem tentare convenit per ea omnia, quæ cap. primo in *Ictero* frigido laudata fuere: præprimis *Ill. Van Swieten* a ſeſe ipſo copioſo graminis, Taraxaci ſucco, ſero lactis, ex quibus totalem fieri curavit victum, plurimos perſanatos fuiſſe teſtatur: non minus ab aliis fructus horrei, vegetabilia, ſaponacea, uti ſapo venetus, rad. V. aperientes, Paraiera brava, Rubia Tinctorum: in ſpiſſitudine bilis, Bardana, ſerum lactis, lac ebutyratum, rad. Fœniculi, Naſturtium aquaticum, Uva urſi in hoc caſu extolluntur.

Quia vero hæc decocta reſolventia ſæpe frigoris, aut doloris in ventriculo excitant ſenſum, ægroque ita diſplicent, ut ea ſufficienti quantitate amplius ſine nauſea adſumere non valeant,

leant, his pillulas ſequentes a *L. B. de Störk* quam maxime commendatas exhiberi optarem.

℞ Sapon Venet.
Extract. Cicut aa unc. ſ.
M. F. pillul. gr, iij
conſperg. pulv: rad Fœnicul
D. S.
ut ſummat ter de die 3.

vel

℞ Sapon. Venet.
gum. ammon.
Extract. Cicut. aa dr. j.
Maſs. pill. Ruffi dr ſ.
Elixier prop. dulc. q. ſ.
ut F. pill. gr. iij.
conſ. pulv. rad. Fœniculi
D. S.
ut ſummat ter de die 3.

Ulterior calculi geneſis præcavetur mutato vitæ genere cauſſis productricibus ſublatis: hinc ruſticario, motus corporis, frictiones quotidianæ maxime hypochondrii dextri, vel etiam totius corporis: equitationes, quæ ſummam in inteſtina, omniaque, viscera abdominalia vim exercent; non perparum aquæ minerales perfectam conciliant ſanitatem, quales ſunt Egranæ, ſel-

teranæ. Roitshenſes, & martiales tempore præſertim verno: ſi vero contigerit, ut æger his adhibitis evaderet debilis, medicamenta ex Cortice peruviano, limatura Martis non rubiginoſa, aquæ medicatæ vi roborante præditæ, quales ſunt Spadanæ, Steknizenſes non ſatis erunt commendandæ. L. B. De Störk (a)

CAPUT QUINTUM

DE

Ictero Spasmodico.

Icterus ſpasmodicus a ductu bilifero, hepatico, aut cyſtico conſtrictis ſuum trahit ortum.

Cauſſa proxima hujus ſunt, ſpasmi, qui præprimis hyſtericas, aut hypochondriacos animi pathematibus, terrori, aut iræ præcipue obnoxios infeſtare amant; viſus item eſt talis *Icterus* in hominibus doloribus colicis vexatis, vel in contuſione capitis prægreſſa: non minus a morſu canis rabidi a ſpasmis præcipue ſyſtematis bilioſi, a veneno ſaturnino ſoepius conſpicere licuit.

Sig-

(a) Tom. 2do. pag. 50.

Signa hujus ſunt: temperamentum hyſtericum, aut hypochondriacum; alias frequenter occurrentes ſpasmi: frequentes, & iterum ceſſantes, morbi recurſus: urina copioſior, limpida: pulſus irregularis: ſponanea *Icteri* ceſſatio; per vices bilioſa excitata diarrhæa.

Curam ſibi plerumque natura leni exorta diarrhæa confert; niſi vero hæc occurrat, clysmata alvum moventia, & interne lene purgans, veſperi autem paregoricum erit exhibendum, ſi vero ſpasmodicæ hæ contractiones ingentem excitent dolorem, ægrumque in animi conjiciant deliquium, mixtura ſequens citiſſimum procurrat levamen.

℞. Aquæ Rutæ unc jv
ſyrup. Menth. unc j
Tinct. Caſtor gtr. xx
Laud. liquid. ſyden. gtt xv
M. D. S,

ſummat omni 4rante hor j. vel 2 cochl.
L. B. de Störk.

CAPUT SEXTUM

DE

Ictero Neonatorum.

Quum *Icterus Neonatorum* frequentiſſime in praxi occurrat, hunc præprimis pertractare conſtitui, Re-

Recens nati *Ictero* suffusi infantis non meminnit *Rosenstein*; nihilominus tamen infantes ex Utero *Icterum* trahere plures Auctores memorant, solusque binis observavi vicibus; neque difficile concepta esse credo, quum infantem inter, & matrem tanta sit affinitas, tantaque conjunctio, ut morbos non perpaucos, quibus mater adfecta est, in fans luere debeat; hinc recens nati præprimis a matribus iræ terroriqe deditis, & *Ictero* laborantibus, etiam icterici lucem conspicere coguntur.

Post partum *Morgagnius* (a) suspicatur *Icterum* oriri partim ab abscissione, & deligatione funiculi umbilicalis ob contractionem arteriæ umbilicalis in Venam Portæ se se exonerantis. partim ob defectum sanguinis materni fluentis ex utero in foetum, ibique materiem lentam solventis: attamen hanc rationem vix locum obtinere existimo, utpote, quum in omnibus recens natis funiculus umbilicalis, & deligetur, & abscindatur, conjunctioque matrem, inter & infantem non amplius habeatur, non tamen omnes infantes flovo suffusi nascuntur colore.

Non-

Nonnulli calculos bilem inpiſſatam, corruptamve incuſant; ſed vix hoc veritati proximum eſſe cum *cl. Hallero* judico, qui tot reſecuit corpora, nunquam tamen in Veſicula fellea neonatorum caluclos ſe inveniſſe fatetur.

Quamobrem *Icteri Neonatorum* omne id cauſſa eſſe poteſt, quod bili exitum præcludit; plerumque tamen moeconium, materiem mucoſam, humoresque paſtoceos poros biliarios, ductum hepaticum, aut choledochum occludentes frequentiſſimam eſſe cauſſam, nemo in dubium vocare poteſt. Accedit ſoepe lac ab acido, quo plerique, & ferme omnes infantes impregnati ſunt, in caſeam transverſum materiem, qua ductus obſtruuntur, vel hi acrimonia præſente conſtringuntur. Non minus in Neonatis ubera derelinquentibus axcitant *Icterum* cibi visceribus delicatuli infantis non proportionati, aut minus commoliti; item fructus immaturi, quorum copia aut viscera comprimuntur, vel acrimonia conſtringuntur, bilique impeditur exitus. Meminiſſe etiam oportet *Icteri* Neonatorum a vomitu, purgationeve intempeſtivis, vel a vermibus excitati, quibus dolore nimio in ventriculo dein

in inteſtinis exorto choledochus conſtringitur ductus.

Curam juxta cauſſas hucusque commemoratas dirigam, & quidem.

1*mo*. Si a moeconio, materia paſtacea, humoribusque mucoſis oriatur, *Icterus* talis detergendo de inteſtinis medicamento ſolventi eccoprotico fugabitur, cui ſcopo infanti ubera ſugenti lac maternum faciet ſatis: ſi tamen hoc minus efficax foret ſyrup: cihor. cum Rheo, ſyrup: manat: Hydrom: infant: Sapo Venetus ſolutus adjectis aliquot Rhei granis optatum procurrabunt effectum.

2*do* In *Ictero* ab acido generaro, antacidis, uti pulv. lap. Canc. magn. Mur. & cæteris acidum abſorbentibus pugnandum, & inteſtina ſyrupo purganti erunt repurganda: ne vero amplius regeneretur acidum, victus accomodatus infanti, vel ſi ubera adhuc ſugit, matri, vel nutrici erit commendandus.

3*tio* Copia nimia ciborum ingeſta, aut non debite commolita ductum choledochum premens, *Icterum*que cauſſans,

ſans, decocto Hordei melle adjecto erit diluenda, hancque dilutam medicamento eccoprotico tutius per anum eliminare oportet.

4*to*. Vomitus, aut diarrhæa intempeſtiva *Icterum* gignentia pro ratione cauſſæ erunt temperanda, & hoc præſtito ceſſabit *Icterus*.

5*to* Tandem ſi Vermes per ſigna cogniti *Icteri* cauſſa ſunt, hi anthelminticis, uti pulv. rad. Valer. Sylv. rad. Dictam. albi, rad. Jalapp. Filicis maris & ſalibus mediis erunt expungendi.

CAPUT SEPTIMUM

DE

Ictero Febrium gaſtricarum.

Icterus Febrium gaſtricarum frequentiſſime in febribus intermittentibus præcipue longis, neglectis, maxime 4tanis, aut cortice peruviano non prius evacuata ſaburra ſuppreſſis, occurrit. ſubſequitur, aut comittatur dein febres continuas remittentes, bilioſas, putridas, nec non malignas; item omnes fer-

ferme morbos æſtatis, autumnique, ut vomitum bilioſum, præſertim ſi morbi hi aut diutius perſtent, aut prava fuerint tractati methodo, æmulatur.

Cauſſa hujus eſt materies biliformis primarum viarum lege communi in humorum maſſam reſorpta, tingensque humores, quod fit æſtate vigente, vel ad finem vergente; initio, aut progreſſu autumni, ubi materies hæc minus mobilis eſſe ſolet, eadem etiam biliformis materies non reſorpta cum aliis ingeſtis ad humorum delata maſſam, tenacitate ſua Ventriculum, & inteſtina oblinit, gravat, communemque obſtruendo biliferum oppillat ductum, facitque, ut bilis cyſtica, atque hepatica regurgitent in ſanguinem.

Signa deprehenduntur ſequentia: initio facies vireſcente, & uti chlorotico tingitur colore, a quo ſæpe albuginea oculi permanet immunis, quæ potius rubeſcit: fœces non ſunt gryſeæ, uti in alia Icteri ſpecie eſſe ſolent, ſed ſunt olidiſſimæ, bileque ſaturatæ, preterea alvus habetur diarrhæica, quæ in *Ictero* Apyreto eſt potius tarda, unacum fœcibus gryſeis.

Pro-

Prognosis si Icterus diutius in febre gastrica perstet, si fuerit saturatior, si etiam oculos luteo maculet colore; tum febris fit malignissima; etenim bilis acrimonia sua in sanguinem resorpta eundem dissolvit, redditque acerrimum; non minus metastases periculo plenas, & lethales efficit, quas sæpius advertere licet in febribus malignis cum ejusmodi *Ictero* complicatis, & vel ad caput, thoracem, vel alia viscera depositas; sic etiam sæpius intra musculos fœmorum, crurum, brachiorum hujus caussa in sectione cadaverum invenitur aqua, seu humor vere biliosus, lintea, & chartam tingens, prouti a bile genuina.

Cura in hoc consistit, ut exusta, tenaxque bilis solvatur, acrimonia corrigatur, & saburra evacuetur: scopo huic faciet satis, rad. Gram. Tarax. Fructus horrei, sales medii, ut cremor Tartari, Terra foll. Tart. &c. præsertim vero attendendum ad febrem generalem, quam comittatur *Icterus*, juxta quam methodus dirigatur, oportet.

Pro coronide opusculi mei addam quædam in *Ictero* observanda, & quidem

1*mo* Ictericum nunquam noctu visitare oportet, utpote quum noctu color flavus a naturali perfecte distingui nequeat.

2*do*. In *Ictero* quocunque caussa investiganda est, juxta quam methodus medendi feliciter instituetur.

3*tio* Utrum icterus cum, vel sine febre adsit? attendendum, quia contrarie adhibita cura ægrum si non ad superos mittit, certe tamen morbis chronicis vix unquam sanandis tradit.

4*to*. Icterus die critico cum levamine ægri in febribus biliosis exortus, etiam tanquam criticus considerari debet, quo præsente non Icterus, sed febris principalis est domanda.

5*to* Icteri epidemice grassantis, & infantes a tertio, 8um usque annum occupantis meminit Hillary.

6*to* Si nulla *Icteri* omnium supra dictarum specierum inveniri possit caussa, investigandum est, numne a lue venerea proveniat? alii enim medendi

me-

methodo non cedet, nisi methodo antivenereæ.

His igitur fideliter, & præcipuo labore exantlatis, si quis ex hoc meo opusculo aliquem hauserit fructum, non parum mihi gratulabor, meumque laborem maximo præmio donatum esse existimabo.

The-

THESES.

I.

Icterus eſt cacochimia bilioſa a regurgitatione bilis progenita, habitum totius corporis præcipue albugineam oculi præternaturali flavo-nigrescente, vel virescente deturpans colore.

II.

Icterus frigidus homines plerumque pituitoſæ adoriri ſalet naturæ.

III.

Icterus ab inflamatione Hepatis progenitus nunquam periculo vacat.

IV.

Icterus ſuppurationem Hepatis pro cauſſa agnoscens, niſi externe puri paretur exitus, ſemper eſt lethalis.

V.

Plethoram Icteri cauſſam eſſe poſſe, in dubium vocari nequit.

VI.

Icteri periodici vel calculi, vel ſpasmi tanquam Cauſſa non incongrue adſignantur.

VII.

In Ictero a calculo exorto vomitus naturæ conamen eſt.

VIII.

Qui adjuvandus, nonnunquam tamen, ſi exorbitet, moderandus.

IX.

Calculi in Veſicula fellea perſiſtentes Icterum cauſſare vix poſſunt.

X.

Icterus ſpasmodicus hyſtericas, & hypochondriacos terrori, vel iræ obnoxios infeſtare amat.

XI.

Icteri Neonatorum, moeconium, materies mucoſa, humoresque paſtacei præprimis cauſſa ſunt.

XII.

Non repugnat jam Ictericum in utero materno factum infantem conſpicere lucem.

XIII.

XIII.

Vix credibile esse credo abscissionem, & deligationem, funiculi umbilicalis Icteri Neonatorum unicam esse caussam.

XIV.

Neque calculi ab Hallero in Vesicula fellea unquam inventi in Neonatis Icterum procreare valent.

XV.

Icterus febrium gastricarum præsertim æstate ab exusta, & nimis depravata bile exoriri videtur.

XVI.

Specifica in Jctero a veteribus dilaudata penitus oblivioni sunt tradenda.

XVII.

Sed ei pro ratione caussæ medeatur, est necesse.

XVIII.

Febrem comitem secum gerens Icterus pericolosior est, quam hac absente.

XIX.

XIX.

Icterus ab Hepatis conſtipatione trahens originem facile degenerat in febrem hecticam, Hydropem ascitem, vel febrem quartanam.

XX.

Cujus prognoſis in hujus affectus circumſtantiis non lenis eſt, ſed ferme ſemper lethalis.

XXI.

Cura Icteri juniorum facilior, adultorum dificilior, non tamen ſine discrimine.